



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De hæresibus, Perionio interprete.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A Cap. 10. secundum participationē) Locus est vltima superficies rei, quæ aliud ambit. Superficies longa & lata est, non profunda. Quare ne locus quidem profundus. esset enim corpus. itaque duo corpora simul essent. Reliquus autem locus separari potest. Locus, vt notat certam corpora partium dispositionem, perpetuus est. Vt autem refertur ad id à quò foris ambitur, is locus non est vnus & idem, cum mouetur corpus. alter fluxus tantum & extensio quietis. Vna enim alia longior est. Dum verò aliquis per horam quiescit, p̄nctum in æquatore certum absoluit curriculum. Sic quies in tempore.

Cap. 16. cum videlicet tenuior) Si tenuior sit ventus, dissipatur per terræ fistulas, nec tanto impetu eam perundit, vt dimoueat: audiuntur tamen inde soni & mugitus quidam. Loci enim angustia id præstat, vt confertim inculcatus ventus in eas terræ fistulas, non motum, sed mugitum ciere possit.

B



D. IOAN. DAMASCENI
DE HÆRESIBVS LIBER,
PERIONIO INTERPRETE.

In ea Damasceni Epistola, quæ Dialecticæ caput est, proficitur ipse se post ea, quæ ad externas disciplinas spectant, de hæresibus scripturum. Itaque præscriptum ab eo ordinem tenens, post Physicam hunc libellum collocaui, ac deinde variarum hæresum confutationem seruata temporum ratione subiiciam. Hunc autem libellum, quia Græcum codicem nancisci minimè potui (In templi D. Hilarij Pictauiensis direptione laceratum aut excusum fuisse puto) vt à Perionio translatus est, Lectori exhibemus, adiunctis dumtaxat paucis annotatiunculis.



MNUM sectarum & hæresum genera sunt quatuor: Barbarismus, Scythismus, Hellenismus, & Iudaismus: ex quibus natae sunt ceteræ. Barbarorum hæresis est, quæ à se orta & sola, ab Adami temporibus vsque ad decimum ortum Noë durauit. Barbarismus autem hæc vocata est, quòd ij homines, qui illis temporibus erant, neminem, cui parerent, haberent, aut vnum idemque sentirent: sed quod sibi quisque statuisset, id

D legis instar pro animi libidine serualet.

Scythismus à Noë & consequentibus temporibus vsque ad turris Babylonicæ ædificationem, & post conditam turrim, paucis annis valuit, id est, vsque ad Phalec & Ragau tempora: qui cum in Europam Tharæ ætate, eaque superiore, ex quo Thraces orti sunt, rerum suarum sedem collocassent, Scythiæ, eiusque gentibus, attributi sunt.

Hellenismus, Seruch, qui idololatriam primus inuexit, temporibus ortus est: Cum enim omnes cultum, quem tum probauerant, superstitione quadam ad humaniorem cultum deducere communi consensu constituissent, mos simulacrorum hominum generi ponendorum ortum habuit: quæ cum illis temporibus comprobarentur, in deorum numero reposuerunt, ac principio depingere, & coloribus adumbrare cœperunt eos, qui tum apud ipsos in nomine erant, & gloria, aut tyrannos, aut diuinos, aut qui aliquid in vita gesserant, quod propter fortitudinem & firmam corporis constitutionem, ac robur dignum memoria videbatur. Deinde Tharæ Abrahami patris ætate cum suum illum idololatriæ errorem ad statuas transtulissent, maiores suos honore statuæ afficiebant: & eos qui ante ipsos è vita excefferant, primum figulorum, deinde vnaquaque arte adhibita, vt tandem & architecti lapides polirent, ac sculperent, & argenti sculptores & auri fusores ex sua materia fabricarentur. Ita & fabri & ceteri deinceps adhibiti sunt. Ægyptij autem, Babylonij, Phryges & Phœnices primi huius signorum fabricandorum & mysteriorum superstitionis fuerunt interpretes, à quibus ad Græcos translata est Cecropi sequenti seculo, Deinde multò post,

Saturnum, Martem, Iouem, & eos qui eum consecuti sunt, & Apollinem in deorum numero reposuerunt. Hellenes autem, id est Græci, nominati sunt à quodam Heleno, qui tum Græciam incolabat: vt autem alij aiunt, ὀλίβα, id est olea, quæ Athenis nata est. Iones autem horum duces, si rem accuratè consideremus, genus duxerunt ab Ione eorum vno, qui turrim edificauerunt, cum linguarum omnium gentium fuit facta diuisio: ob eamque causam Merope omnes, à voce quæ diuisa est, vocati sunt. Postea Hellenismum consequentibus temporibus hæreses infecerunt, id est Pythagoreorum, Stoicorum, Platoniorum, Epicureorumque temporibus: quo etiam tempore religionis Dei forma fuit, lex naturæ consentanea, quæ ab his gentibus sese diuisit atque secreuit, ita vt post orbem conditum ad illa tempora medium locum inter Barbarismum, Scythismum & Hellenismum obtinuerit, quoad Abrahami religioni coniuncta fuit.

Cur homines Merope dicti.
* i secta.

Iudæorum inde orta est hæresis, Abrahami temporibus à circumcissione pelliculæ sumpta religionis forma, eaque Moyses etiam ætate, qui septimus Abraham successit, Legi que Deus dederat, scriptor fuit, seruata est: à Iuda autem, qui quartus fuit liberorum Iacob, cui nomen Israël impositum est, Dauidis, qui primus de sua tribu Iuda regnavit, instituto, nomen inuenit. De his quatuor hæresibus breuiter ac apertè Apostolus meminit his verbis: In Christo enim Iesu nõ est Barbarus, nec Scythia, nec Græcus, nec Iudæus, sed noua creatura.

Pythagorei, aut Peripatetici secuti sunt. Eis Monadem & prouidentiam Pythagoras primus tradidit: cauendumque censuit, ne diis facta sacra fierent, abstinendum esse ab animantibus, & à vino. Rerum etiam quæ subiectæ sunt sensibus, terminos & fines eos adhibuit: vt quæ à Lunæ ambitu & superioribus continentur, immortales: quæ infra Lunam, mortales caducæque diceret. Migrationem verò animorum à corporibus in corpora vsque ad animalia & bestias, tam terrestres, quam sanctes, definiuit ac statuit. Silendum etiam quinquennio tradidit: postremò seipse Deum nominauit.

Platonici Deum ponebant materiam & speciem, ex quibus hæc constarent omnia. Mundum ortum habuisse, nunquam autem interiturum. Animum verò & ortu carere, & immortalem, & diuinum esse statuebant. Eius autem partes tres esse: vnã, quæ rationis esset particeps: alteram eam, in qua irarum ardor existeret: tertiam eam, quæ voluptate aleretur. Mulieres communes omnibus esse censuebant, atque suam & propriam esse nemini: sed eos qui vellent cum quauis, dummodò id vellet, concumbere. Eodemque modo animorum à corporibus in corpora migrationes, vsque ad omnia genera animalium, probabant. Multosque deos ex vno inducebant.

Stoici corpus esse omnia, atque hunc mundum, qui sensu percipitur, Deum statuebant. Nonnulli verò Dei naturam ex igne constare posuerunt. Ac Deum quidem mentem esse definiunt, & quasi animum huius vniuersitatis coeli ac terræ: eius autem corpus hanc, vt dixi, ponunt vniuersitatè: oculos verò, Solem & Lunam atque stellas. Corpus item occidere: animum à corpore in corpus migrare volunt.

Epicurei indiuidua quædam corpora eiusdem generis, & infirmitatem rerum omnium principia, & beatam vitam in voluptate ponebant. Negabant res à Deo & prouidentia administrari.

Samaritanorum hæresis, à Iudæis antè ortum habuit, quã hæreses apud Græcos natæ essent, & ante eorum decreta constituta. Postea verò quàm Græcorum superstitio cœpta est, medium locum Iudæorum & Græcorum tenuit, eiusque rei causam originemque duxit Nabuchodonosorij temporibus, cum Iudæi capti sunt. Cumque ab Assyriis in Iudæam coloni deducti essent, ac Mosi libros, quos post seruitutem Babylonicam Esdras distinxerat, sumpserint, omnia quæ Iudæi, seruarunt, præter gentium detestationem, & nonnullorum ciborum delectum, mortuorumque resurrectionem, & quasdam Prophetias, quæ Moyses secuta sunt tempora.

Corthenij sunt, qui aliis temporibus, ac quibus Iebussæ, festa celebrabant.

Iebussæ

A Iebuffæi sunt, qui ob eandem causam festorum à Gortheniis differebant. Esseni nec ab alterutris dissidebant, & sine delectu cum iis qui aderant, festos dies agebant.

Doſithei apud eandem gentes, apud quas Samaritani habitabant, circumciſione, aliſque inſtitutis, ac quinque Moſis libris utebãtur. Studioſiùs autem quàm cæteri ab animantibus abſtinebant: itẽmque & in cæteris: & ieiunia perpetua ſeruãnt: probant etiam virginitatem, nonnulli autem ad tempus continẽtiam. Alij mortuos excitari credunt, quod nefas eſt apud Samaritanos.

B Scribæ, qui iudem Legis periti erant, & eorum quæ à maioribus tradita acceperant, interpretes, ea quæ ſponte profitebantur, nimia religione aut ſuperſtitione inſtituta conſuetudineſque ſeruabant. Atque hæc quidem profitebantur, non quòd ex ipſis legibus ea hauſerant, ſed quòd legum ſibi & cultum & iuſtitiam vendicabant.

Phariſæi idem quod diuiſi & ſecreti valent. Ij vitam duriffimam agunt, maiorisque virtutis quàm cæteri ſpeciem præ ſe ferunt. Apud eos etiam mortuorum reſurrectio probatur, quemadmodum apud Scribas. Angelos atque Spiritũ ſanctum eſſe conſtitunt. Vita autem degendæ rationem ab aliis ſecretam probant: certo tempore continentiam virginitatẽque terminant. Bis in hebdomada ieiunia ſeruãnt: expiationes & vrceorum & ræenſuram & poculorũ probant: itẽmque vt Scribæ, ſic hi decimas, & primos fructus & præcum perpetuitatem approbant: voluntariæ quoque religionis ſpeciem in inceſſu, cum toga & breuibus tunicis gerebãt: hi etiam phylacteria, id eſt ſigna ex purpura, & fimbrias & corymbos dilatabant atque laxabant in ea tunicæ parte, quæ fimbriis erat adiuncta: quæ quidem omnia inſignia erant eius, quam ad tempus probabant, pudicitia. Ij denique Aſtologorum de horoſcopo errorem fatũmque ſequebantur.

Saducæi idẽ quod iuſtiſſimi valent. Ij cùm genere Samaritanorũ eſſent, & ſimul ſacerdotis, qui Saducus dicebatur, nec mortuorum reſurrectionem cõcedebant, nec angelos & Spiritum probabant. Cæteris in rebus Iudæos ſequebantur.

Hemero-baptiſtæ Iudæorũ inſtituta omnia ſeruabant, niſi quòd vitæ immortalitatem quenquam conſecuturum negabant, qui non quotidie baptizaretur.

D Hoſſinij autem dicuntur duriffimi. Ij Legi in omnibus ita obtemperabant, vt quædam eorum quæ poſt Legem ſcripta ſunt, probarent, reiicerent autem plerumque Prophetas.

Nassaræi rebelles interpretantur. Ij non ſolũ omnem eſum carniũ veta- bant, verũ etiam omniõ animatis rebus abſtinebant. Ad Moſem autem & Ieſum Naue ſanctis Patriarcharum nominibus, quæ quinque Moſis libri continẽt, Abrahami dico, Iſaac, Iacob, & ſuperiorum, atque ipſius Aaron, Moſis, & Ieſu vtuntur, eaque approbant: quinque autem illorum librorum Moſem autorem negant, ſeque alios præter hos habere confirmant.

Herodiani omni ex parte Iudæi erant. Herodem autem vt Chriſtum appro- babant, eũmque Chriſti & honore afficiebant, & appellabant nomine.

E Simoniani à Simone Mago, qui Petri Apoſtoli temporibus ex vico Samariæ, qui Githo dictus eſt, fuit. Hic cùm ſibi Chriſti nomen tantũ vendicaret, concubitu paſſim ſine delectu corporum docebat. Reſurrectionem autem carnis reiiciebat, Deũmque mundi effectorem & authorem negabat. Simulacrum ſuum pro illo Iouis, ac ſcorti ſui, cui nomen erat Helenæ, pro Mineruæ, diſcipulis ſuis adorandum exhibebat. Idẽmque ſe & Samaritanorum patrem, & Iudæorum Chriſtum prædicabat.

Menandriani ab hoc Simone Menandri cuiuſdam opera originem habuerunt. Inter eos autem & Simonianos aliquid intereſt: quòd hi mundi molitionem factam ab angelis eſſe dicebant, illi negabant.

Saturniniani in Syria Simonianorum turpitudine confirmata, alia quæ illi non cogitant, quò maiorem admirationem excitent, docuerunt. A Satur-

nino autem ortum habuerunt. Idemque cum Menandri secuti sententiam, ab angelis hunc orbem conditum esse confirmant, septem tantummodo eos de patris sententia dicunt fuisse.

Basilidiani eiusdem obscenitatis ministri fuerunt, dicti à Basilide, vnà cum Saturnino, Simonianorum Menadrianorumque discipulo: qui cum idem quod illi sentiret, tamen aliquid ab eis dissidebat. Nam trecentos sexaginta quinque coelos esse asserit, eisque angelorum imponit nomina. Itaque & annum totidem dierum esse, & verbum Abraham 365. explere, & hoc nomen sacrosanctum esse dicit.

Nicolaitae autem nominati sunt à Nicolao, quem viduis Apostoli praefecerant. Hic suae uxoris odio turpitudinem eam, quam alij, agendam discipulis tradidit, atque in mundum inuexit quaedam barbara nomina, vt Caulacauchus, & G² Protonicus, aliaque permulta.

Gnostici cum Nicolaitarum atque superiorum haereses approbarunt, tum eorum omnium turpitudinem vsque ad amentiam insanè sunt persecuti. In Aegypto autem Stratiotici vocabantur, & Phibionitae: in superioribus verò locis Socratitae. Alibi autem Choldianos eos nominant, alij Borboritas. Hi Berbelo & Bero imperant.

Carpocratiani à Carpocrate quodam Afiatico dicti sunt. Hic omnem libidinem atque obscenitatem scelerum in explendâ esse docebat, vt si quis per omnia scelera non volutaretur, nec omnium daemonum atque angelorum voluntati pareret, eum ad summum coelum, ad principatus atque potestates peruenire posse negaret. Iesum autem animum accepisse mentis compotem dicebat, eumque rerum coelestium scientiam tenuisse, quas in hac rerum vniuersitate enunciauerit. Quod si quis similia, quae Iesus, gereret, eum illius similem esse dicebat. Legem cum mortuorum resurrectione repudiauit, vt omnes haereses à Simone ad illa tempora solabant. Hanc sectam secuta est Romae Marcellina quaedam, quae cum occultè Iesu, Pauli, Homeri, atque Pythagorae signa esset fabricata, colenda ea docebat.

Cerinthiani, qui & Merinthiani, à Cerintho & Merintho appellati, Iudaei quidam erant, qui circumcisionem extollebant. Mundum ab angelis conditum: Iesum verò ex eo quod profecisset, Christum vocatum asserunt.

Nazaræi autem Christum Iesum Dei filium illi quidem profitentur, sed Legi parent in omnibus.

Phibionæ eadem quae superiores Cerinthiani & Nazaræi docebant. Consensit cum eis quaedam ex parte Sampsaorum & Helcesorum haeresis. Hi Christum & Spiritum sanctum in coelo creatos asserunt: ipsum autem Christum in Adamum primum venisse: deinde ex tempore, gressum fuisse: hoc autem aiunt ab eo, cum in carnem illius venisset, esse perfectum. Quanquam autem Iudaei erant, tamen vsi sunt Euangelii: carnis autem esum detestabantur. A quam pro Deo habebant. Christum autem hominem, vt dixi, suo ipsius aduentu in carnem intrasse asserunt. Perpetuò se quemadmodum Samaritani, aquis abluunt & aestate, & hyeme, expiationis simulata gratia.

Valentiniani cum carnis resurrectionem negant, tum vetus Testamentum improbant: Prophetarum autem lectionem, caeterorumque omnium, quae ad suae haeresis similitudinem transferre dicendo possunt, probant. Alia quaedam animalium ineptiarum nomina, vt triginta seculorum, inducunt. Hermaphroditos ex parte vniuersi natos esse dicunt, quos etiam deos ac secula esse ponunt. Christum autem è coelo carnem attulisse, eamque per Mariam quasi per canalem in lucem protulisse confirmant.

Secundiani, quibus Epiphanes & Isidorus adiunguntur, iisdem coniugationibus vsi, cum Valentino consenserunt: nisi quod eum in docenda & commemoranda obscenitate longè multumque superarunt. Idem carnis resurrectionem negant.

Ptole-

A Ptolemei, cum essent etiam Valentini discipuli, in quorum numero Flora ascribitur, eadem de coniugationibus, quæ Valentiniani & Secundiani, affirmabant: sed inter eos aliquid interest.

Marcosai à Margo dicti sunt. Marcus enim quidam Colobarfi condiscipulus fuit. Hic & duo principia inducebat, & carnis resurrectionem negabat. Cum verò magicis verbis ita oculorum aciem perstringeret, ut res quæ per phialas videbantur, in cæruleum colorem ac purpureum verteret, mulieres deceptas sacris suis initiabat. Hic quoque, ut Valentinus, viginti quatuor initia vult esse rerum omnium.

Colobarfiani à Colobarso nominati sunt. Hic cum eadem traderet quæ Marci & Valentini affectatores, tamen non nihil ab illis discrepabat. Aliter enim coniugatione atque ogdoadas docebat.

B Heraclionitæ etiam fabulas ogdoadum sequuntur: ita tamen, ut aliter ac Marcus, Ptolemæus, & Valentinus atque ceteri, elementa committant. Quinetiam eos, qui apud ipsos excedunt à vita, eodem modo quo Marcus, in morte, oleo, balsamo, & aqua redimunt: in quo Hebraicis quibusdam appellationibus in eius capite qui simulatè redimitur, vtuntur.

Ophitæ anguem venerantur, eumque Christum esse existimant. Afferunt etiam verum serpentem in specu.

C Caiani idem sentiunt, quod hæ hæreses, quæ Legem eiusque authorem improbant. Cumque carnis resurrectionem negent, Cain ob eam causam honore afficiunt, quod eum dicant maiore quadam vi ac virtute fuisse præditum. Iudæ etiam diuinitatem tribuunt, & Core, Dathan, & Abiron, atque ad eod Sodomitis.

Sethiani rursus Seth honores tribuunt. Eum enim dicunt à matre cœlesti genitum, cui curæ fuerat: quibus de causis Cain priorem in lucem ederet: deinde post Cain Abel repudiatum ac interfectum fuisse: cumque ipsa cum supero cœlestique patre rem habuisset, ex illo cōcubitu Seth semen purum procreatum, ex quo deinceps hominū genus propagatum fuerit. Principia etiam & potestates, quæque alij docent, ea tradunt omnia.

D Archontici quoque ad multos principes vniuersitatem referunt, & ab iis dicunt creatæ esse quæ oriuntur. Tenentur autem in scelere obsceno. Iidem & carnis resurrectionem negant, & vetus Testamentum reiiciunt. Quanquam ita vtuntur, ut singula verba arbitrato suo interpretentur, atque deprauent.

Cerdoniani à Cerdone Heraclionis discipulo appellati sunt, qui eis quasi hæreditariam erroris contagionem etiam auctam tradidit. Is cum ex Syria Romam venisset, Hyginij Episcopi temporibus, doctrinæ suæ rationem reddidit. Duo inter se contraria principia docebat: genitum Christum volebat fuisse: carnis resurrectionem, vetusque Testamentum improbat.

E Marcionistæ à Marcione Pontico dicti sunt. Hic cum filius esset Episcopi, virginique stuprum intulisset, ex Ecclesia à patre expulsus est. Cumque Romam perueniens, penitentiam ab iis, qui ad Ecclesiæ gubernacula sedebant, petitam non impetrasset, suspensus animi in fide cœpit esse: ac tum denique tria principia docuit, bonum, iustum, & malum: Nouumque Testamentum à veteri & ab eius authore discrepare. Idem atque ij qui ab eo sunt Marcionistæ nominati, carnis resurrectionem negant. Non solum autem semel, sed etiam iterum atque tertium baptizant eos qui lapsi sunt atque peccarunt. Quinetiam apud eos alij pro mortuis, & iis qui sacris fidei initiantur, baptizari solent: & mulieres præficiuntur passim & palam lauacro ministrando.

Lucianistæ vocati sunt à Luciano quodam, non eo qui modò Constantini temporibus extitit, sed à superiore. Is omnia Marcionis decreta secutus est, sed quædam præterea fecus ac Marcion docuit.

Apelliani ab Apelle nominati sunt, qui etiam cum Marcione Lucianoque consentit. Is omne quod factum est, ipsūque Creatorem vexat: nec verò, ut illi, tria

principia induxit, sed vnum principium, & vnum Deum qui sit supremus, nec villo nomine appellari debeat. Hunc autem vnum alterum genuisse dicit, qui cum inuentus esset improbus, pro suo scelere mundum fecerat.

Seueriani à Seuro quodam dicti sunt, qui rursus Apellem secutus est. Hic vinum respuit: vitemque ex draconis, qui à Satana originem habet, atque terræ concubitu prodiisse fingit. Mulierem autem repudiat, quod eam dicat sinistra & infausta esse potestatis. Nomina autem quædam principum, librosque apocryphos profert. Carnisque resurrectionem, ac vetus Testamentum more aliorum non probat.

Tatiani à Tatiano, qui Iustini sanctissimi martyris ac Philosophi temporibus fuit, appellati sunt. Hic post sancti Iustini mortem Marcionis decretis corruptus, eadem quæ ille professus est, adiectis quibusdam aliis, quæ ab eo non erant tradita. A Mesopotamia autem prodiisse dicitur.

Enkratitæ reliquiæ quædam sunt Tatiani. Hi & nuptias damnant, easque Satanæ esse dicunt: & omnem rerum animatarum esum improbant.

Cataphryges, Montani & Ascodrugitæ sequuntur, qui vetus & nouum Testamentum illi quidem probant, sed & alios Prophetas inducunt, & Montanum ac Priscillam in honore habent & pretio.

Pepuziani, qui & Quintiliani, quibus & Artotyritarum hæreses duæ adiunguntur, Cataphrygum illi quidem sequuntur sententiam, sed alia etiam ipsi ex se pepererunt. Hi Pepuzam urbem quandam desertam, quæ Galatiam à Cappadocia & Phrygia diuidit, diuinum quiddam esse dicunt, eamque Hierusalem esse existimant. Est autem alia quoque Pepuza. Mulieribus autem non solum magistratus mandant, sed etiam sacerdotia. Contaminant etiam quendam admodum puerum: caduntque virgis æneis, ut solent Cataphryges: eiusque sanguini immiscet similam: ex qua confectum panem pro donariis sumunt. Quinetiam Quintiliæ & Priscillæ Christum illic in vrbe Pepuza specie & habitu muliebri visum esse confirmant. Nouo iuxta ac vetere Instrumento vsi sunt: sed omnia arbitrio suo interpretabantur.

Tessares, & decatitæ autem vno die quotannis Pascha agunt, in quemcunque decimaquarta Luna incurrerit, in quo nec Sabbati, nec Dominicæ diei rationem habent. In eo autem tum ieiunia seruant, tum vigilias & festum diem agunt.

Alogi à nobis ij appellati sunt, qui Ioannis & Euangelium & Apocalypsim non probant: propterea quod Deum, qui à patre profectus est, Verbum esse semper non recipiunt.

Adamiani à quodam Adamo ita dicti, irrisione magis dignam, quam veram habent disciplinam. Res autem sic habet. Nudi tam mares, quam foeminae, in locum vnum conueniunt: in eoque lectionum ac precum officia, & quæuis alia sacra, perficiunt. Simulatam verò solitudinem, & castitatem, fictasque nuptias probant: suamque Ecclesiam Paradisum esse ducunt.

Sampfæi & Elcesæi etiam nunc Arabiam, quæ in superiore mortui maris parte sita est, incolunt. Eos quidam Elces pseudopropheta decepit, quem etiam hodie Martha & Marthina mulieres propinquitate attingunt, in earumque numero & parte propter prænotionem habentur, & adorantur. Eadem autem quæ Ebronæi asserunt.

Theodotiani à Theodoto Scyteo Byzantino vocati sunt. Hic, cum disciplinis Græcis esset eruditissimus, & in perfectione, quæ tum conualuerat, lapsus esset: vnus ex omnibus, qui duo testimonium dixerunt, fuga salutem quæsiuit: instituitque, Christum purum hominem docere, propterea quod hoc illi crimini dabatur, quod Deum illum esse negauisset.

Melchisedeciani sunt, qui Melchisedech venerantur, eumque virtutem aliquam, non tantum hominem, esse asserunt: atque in hoc eius nomen referebant omnia.

Bardisiani à quodam Bardisiane, qui à Mesopotamia prodiit, nominati sunt. Hic

A Hic Bardisanes principiò veram fidem professus est, Philosophiæque laude excelluit. Deinde à fide & veritate defecit ac deflexit: eadèmq; quæ Valentinus docuit, paucis exceptis, quibus ab illo diffidet.

Noëtiani à Noëto, qui Smyrnæ Asiæ natus est, vocati sunt: qui cum aliis quibusdam quasi in currum impositus, *ἰσότητος*, id est, vt ita dicam, filio-patrem Christum dicebat esse. Eundem quoque Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse profitebatur: seque Mosem, & fratrem Aaron asserbat.

Valesij sunt, vt existimo, ij qui Bacchaton caput Philadelphiæ Arabum incolunt. Hi hospites, & eos qui secum versantur, castrant. Sunt etiam plures apud eos eunuchi, qui secti fuerunt. Alia quoque docent plena hæreseos: veteris autem

B Testamenti legem ac Prophetas improbant: ac alia quædam plena obscenitatis inducunt.

Cathari & Nouatiani & Montesi Romæ vocantur. Hi Nouato Romano adiuncti, secundas nuptias omninò poenitentiamque damnant.

Angelici omninò iam nulli sunt. Hi ita appellati sunt, quòd angelorum se ordinem habere iactabant, aut ab angelis se vocatos.

Apostolici, qui & Apotactici, id est, selecti vocantur, in Pisidia tantum apotacticos, id est, secretos ab aliis recipiunt. Accedunt ad Encratitas: sed tamen alia quædam diuersa sentiunt.

Sabellianorum eadem est secta quæ Noëtianorum: nisi quòd hi Patrem negant esse passum, & Verbum enunciari, ac iterum refundi reuocarique asserunt.

C Origeniani sectatores sunt cuiusdam Origenis. Hi obscenis & nefandis facinoribus se ac corpora sua inquinant ac contaminant.

Origeniani alij, Origenis scriptoris, qui Adamantius dictus est, discipuli fuerunt. Hi mortuorum resurrectionem negant: Filium, Spiritumque sanctum creaturas esse arbitrantur: paradysum, cælos, atque alia, ad allegoriã transferunt: Christi regnum tandem aliquando desitutum, & simul angelos desituros cõfirmant: Christum autem vnà cum diabolo à rege gubernatum iri: eumque in crucem actum, dæmonibus falsã denunciaturum.

D Paulini à Paulo Samosateno appellati sunt. Hic Paulus ferè Christum omni natura & substantia spoliatur, dum eum verbum enunciatiuum fingit & format: eumque ait à Maria ad hoc tempus fuisse, cum omnia quæ in scriptis diuinis de illo prædicta fuerant testimonia, haberet, sed non esset: verum à Maria, ex quo tempore carnem assumpsit, eum cœpisse esse confirmat.

Manichæi, qui & Acqnitæ, ex cuiusdam Persæ, cui Mane nomen erat, disciplina prodierunt. Hi Christum phantasma & speciem esse dicunt. Solem ac Lunam diuinis honoribus afficiunt. Astra, virtutes & dæmones precantur. Duo autem principia inducunt, bonum & malum, quæ fuerint ex omni æternitate. Christum opinione tantum & specie apparuisse, non re vera: itemque passum fatentur. Vetus Testamentum maledictis vexant, authorẽmque eius Deum, qui in eo locutus est. Mundum etiam non totum, sed partem à Deo effectam esse statuunt:

E reliquam autem partem contrarij principij esse confirmant.

Hieracitæ, cuiusdam Hieracis Leontopolitani Ægyptij, qui interpretis erat, sectatores, carnis resurrectione negant. Cumque veteri & nouo Testamento vtantur, nuptias tamen omninò damnant. Iidem eos qui vitam desertam degunt, & virgines & cælibes & viduas approbant: puerosque eos qui nondum ad ætatem legitimam peruenissent, quòd nullum laborem susceperint, vitam sempiternam consequi negant.

Meletianorum Ægyptiorum schisma est, non hæresis. Hi orare nolunt cum iis qui aberrarunt à fide in persecutionibus, & resipuerunt. Nunc Ariani adiuncti sunt. Prima Arij secta damnata est in Concilio generali, à quibus orti sunt Eunomiani.

Ariani, qui iidem Ariomanitæ & Diatomitæ dicti sunt, & Dei Filium crea-

turam, & Spiritum sanctum creaturæ creaturam esse tradunt. Filium etiam de Maria carnem modò, non etiamnum sumpsisse confirmant.

Audianorum schisma & dissensio est, non hæresis. Hi speratè viuunt, fidemque eandem tenent omnino, quam tota Ecclesia. Maxima ex parte in coenæbiis habitant, nec quemuis in societatem & communionem sacrorum admittunt: multis autem apocryphis crebrò vtuntur: nostrosque episcopos, quòd sint diuites, aliisque de causis alios culpant, Pascha more peculiari Iudæorum celebrant. Hoc etiam habent proprium, quòd illud totum, ad similitudinem durissimè interpretantur.

Photiniani à Photino nuncupati sunt: vt à Petro, Petriani: à Theodoro, Theodoriani: à Diodoro, Diodoriani: ab Eustatio, Eustatiani. Hic autem Photinus Smyrnæus erat, Paulique Samofatei sectam secutus est: quanquam nonnullis in rebus ab eo differat. Christum à Mariæ tempore fuisse confirmant, in quo vehementer exultat.

Marcelliani à Marcello Ancyra Galatiæ vrbs ciue dicti sunt. Hic principio cum Sabellium secutus esset, notatus est. Cum autem sapè ad causam dicendam venisset, atque de scripto dixisset, ab aliis accusatus est, quòd in eadem sententia permaneret. Fortasse mutata sententia, in viam rediit: quemadmodum eius quidam discipuli sani cum eadem de causa delati essent, causam dixerunt.

Semiariani Christum Deum illi quidem fatentur, dissimulanter autem creaturam eum esse dicebant, non quòd sit vna creatura, sed filium ipsum, inquit, fatemur. Quoniam autem Pater nihil pati, nihilque accipere potest, & hunc genuit, idcirco eum creatum fuisse dicimus. Eodem modo Spiritum sanctum creaturam omnino esse definiunt. Filium autem cum negent eiusdem esse naturæ atque essentia cuius sit Pater, eum illi similem similisque naturæ fatentur. Quanquã sunt quidam ex eis, qui eum similem esse naturæ negent.

πνευματομαχοι, id est cum Spiritu bellantes, aut Spiritus hostes, à Macedonio Spiritus hoste nominati sunt. Hi de Christo rectè sentiunt, Spiritum autem contumeliis vexant. Eum enim ita creatum fuisse asserunt, vt à diuinitate prodiisse negent: aut potius eum dicant¹⁰ per actionem improprie creatum, cum ex sola vi constet, vt aiunt, que apta sit ad procreandam sanctitatem. Ab his orti sunt ij, qui Montani vocantur.

Aerij proprij errores. Ariani ab Aërio Pótico dicti sunt, qui¹¹ etiam nunc tentat vitam. Fuit autem sacerdos Eustachij episcopi, eius cui Ariana hæreseos crimen obiectum est, filius. Cumque sibi episcopatum denegatum videret, multa contra Ecclesiam docere instituit, Arianorum nulli secundus. A dieit autem quædam de suo. Negat enim quicquam offerendum esse pro mortuis. Ieiunium feria quarta & sexta, & quadraginta diebus seruari, & Pascha celebrari prohibet. Stata hæc damnat omnia. Carnibus & cibis omnis generis vsus est sine religione. Quòd si quis ieiunium seruare velit, id ab eo certis statisque diebus seruari negat oportere, sed quãdo volet. Negat enim se lege teneri: negat etiam quicquã inter presbyterum & episcopum interesse.

Aëtiani ab Aëtio Cilice nominati sunt, qui diaconus fuit Georgij Arianorum Alexandria Episcopi. hi etiam Anomij vocantur: à nonnullis Eunomiani dicuntur, à quodam Eunomio Aëtij discipulo. In quorum etiam numero fuit Eudoxius: quanquam metu¹² regis adductus, se ipse ab illis seceuit. ex quo factum est, vt Aëtium solum exterminaret. Ac Eudoxius quidem Arianorum partes, nõ etiam Aëtij secutus est. Hi autem Anomij & Aëtiani omnibus modis Christum & Spiritum sanctum à Patre dissociant, atque secernunt, quippe qui & creatum illum fuisse confirmant, & negent similitudinem vllam in eo esse diuinitatis. Ratiocinationibus autem argumentisque Aristotelis & Geometrarum Deum esse demonstrant, Christumque ita à Deo proficisci minimè potuisse. Qui autem Eunomiani vocantur, non solum lauacrum iterant in iis omnibus, qui ad se veniunt, sed

A sed etiam Arianorū capita immergunt sursum versus pedibus versis, in quo multa canitur oratio. Quod si quis vel stuprum intulerit, vel aliud scelus commiserit, id graue esse negant, præsertim cum Deus, vt aiunt, nisi fidem quam probat, nihil à nobis postulet.

Edmoniani præteridem nihil à suis excipiunt.

Dimorita, qui iudem Apollinarij dicuntur, Christi præsentiam iam perfectā, id est incarnationem negant esse: quorum nonnulli aliquādo corpus illius eiusdem naturæ, cuius est diuinitas, affirmare minimè dubitarunt. Nonnulli autem animum etiam cum, sumpsisse negauerunt. Alij propter hoc totum dictum, Verbum caro factum est, eum de carne quæ creata est, id est, de Maria carnem sumpsisse negauerunt. Hoc autem quod disceptatione non vacat, dixerunt, Carnem factum: post verò mentem in Christo fuisse negauerunt: in quo quid sibi velint, prorsus ignoro.

Antidicomarianita sunt, qui sanctam Mariam virginem permanisse negant, generato Seruatore: sed cum Ioseph eam concubuisse asserunt.

Collyriani autem sunt, qui eiusdem virginis nomine certo & constituto anni die *κολλυρίδα*, id est ¹⁴ tortam panis offerunt, quibus nomen Collidianorum impositum est.

Massalianis, qui *ερχήται* ab orando dicuntur, ij etiam ascribuntur qui apud Græcos sectas instituerunt, Euphemita, Martyriani, & Satanæani. Capita deceptorum impiorum, quæ Massaliani docent, collecta ex eorum libris, Habitare in homine satanam vt præsidem, eique in omnibus dominari: satanam & dæmones mentem hominum possidere, & hominum naturam cum spiritibus improbitatis cõmunionem habere, Habitare vnā in hominē satanam & Spiritum sanctū. Non fuisse etiā Apostolos ab actione quæ operetur, liberos. Baptismum hominē non perficere, nec diuina sacramēta accepta animi fordes expiare, sed solas preces, quæ ab illis rectè fundantur. Hominem recepto baptismo non esse in massa peccati. Fidelem nõ baptismo, sed precibus vestem diuinam incorruptam & integrā accipere: perturbationum vacuitatem sumi: & Spiritum sanctū ita abundanter consequi oportere, vt sensu possit percipi. Animum comitari oportere eiusmodi coelestis sponsi communionibus, quas ex viri concubitu mulier percipit. Spiritales homines tum intus, tum foris peccatum vident, & gratiam, & quæ operatur, & quæ efficitur. Reuelationem fieri & in sensibus, & in diuina. Ignem esse effectorem, Animum in quo non sit Christus, cum aliquid sensibus percipit aut agit, serpentis esse venenatarumq; bestiarum domicilium, id est omnis contrariæ virtutis. Mala, naturā euenire. Adamum antequam imperium violaret, atque transfileret, sine vlllo sensu voluptatis cum Eva concubuisse. In Mariam vt semen & Verbum incidisse. Hominem oportere duplicem animum adipisci: vnum, qui hominibus sit communis: alterum, qui coelestis. Hominem plenè posse sensibus accipere Spiritus sancti personam in omni actione. Iis qui orant & precantur, posse apparere crucem in luce, & aliquo tempore inuenire hominem, cum ipsa præsto est aræ, eique tres panes ex oleo confectos homo offert. Detestantur præterea

E quicquid manibus operantur, vt deforme & indecorum Christianis. Atque vt sigillatim de eorum decretis dicam, inhumanitatem in mendicos inducunt. Negant enim iis qui publicè ea quæ ad victum pertinent, quærunt, aut iis quorum manus opere labefacta sint, aut iis qui aduersa fortuna vtantur, vel corporum debilitatione, vel morbis, ¹⁵ verbis acerbitate creditorum, vel furum iniuriis, vel barbarorum incurfionibus, aut iis qui tales casus experti fuerint, subuenire oportere eos, qui ab illis secreti sunt, & aliquid boni agere instituūt, sed sibi quemque omnia suppeditare censent oportere. Seipsos enim dicebant verè pauperes esse spiritu. His adiciebant templorum & ararum contemptum, quod non deceat monachos Ecclesiasticos cõetus & sacrificium celebrare: eos contentos esse oportere precibus, quas in facellis & oratoriis expleant. Tantum enim suas preces valere confirmabant, vt Spiritum sanctum de cœlo in eos & discipulos

Massaliani ab humanitate ac misericordia erga calamitosos abhorrent.

ita deuocarēt, vt sentiri percipi que possēt. Nam mira canunt, eos qui salutē con- F
 sequi velint, eatenus continenter orare oportere, quoad peccatum instar fumi ali-
 cuius, aut ignis, aut draconis, aut alicuius eius generis belluæ, precibus expelli &
 discēdere sentiāt. Spiritus autē sancti rursus introitum sensibus percipiunt, aper-
 tumque eius introitus sensum in animo habent, eumque aiunt esse veram Chri-
 stianorum inter se communionem. Neque enim aut baptismo Ecclesiæ, aut cle-
 ricorū ordinationibus omnino Spiritus sancti participes eos fieri, qui sacra aqua
 expiantur: sed eos demū, qui paulō studiosius socios se eorū precum orationum-
 que præbebunt. Quinetiam aliquem sine baptismo Spiritum sanctum posse per-
 cipere dicunt, si apud eos habitare, & illorum sacris initiari velit: quasi verò hoc G
 maiores & sacerdotes quidam dixerint, se Spiritum sanctum fide habituros, non
 sensu percepturos, & precum illorum cōmunionē ita apertē Spiritu sancto parti-
 cipaturos, vt sub sensum cadat. Tanta est autem eorum arrogantia, vt eos qui in
 societatem simulatæ Spiritus sancti, quam inducunt sensu percipi, communionis
 venerunt, tum beatos ducant, vt perfectos & ab omni culpa liberos, peccatōque
 superiores, tum obseruent, & venerentur, vt iam peccatis, periculis, & iniuriis mi-
 nus opportunos & obnoxios, sed in omne reliquum vitæ tempus ita affectos &
 constitutos, vt tutò possint omnibus exquisitissimis elcis vesci: in armis, in hono-
 re, & in voluptatibus viuere. Eorum, autem plerique dato huiusmodi perfectio-
 nis documento, ne Christianorum quidem nomine ceteros appellare æquū pu-
 tant, cum ipsorum insignes libidines, furta, stupra, oculis deprehenderit. Alia H
 etiam multa præterea monstri similia docent, vt legitima coniugia passim & sine
 vllō delectu dirimi: nosque qui coniugij onus excusserint, vt monachos reci-
 pi, & beatos dūci: parentibus suadent, vt liberorum educationem negligant, &
 ad ipsos sua omnia afferant: seruos qui conspectum domitorum fugiunt, vltro
 excipiunt: eos autem qui ad se grauissimis criminibus inquinati confugiunt, nul-
 lo extante fructu pœnitentiæ, sine sacerdotis authoritate, nulla habita ratione
 graduum, qui canonibus Ecclesiasticis excipiuntur, primo quoque die se expia-
 turos profitentur, dummodò in illam eorum sermone omnium celebratam ora-
 tionem apud eos exercitati sine dolo ac simpliciter sacris quæ probant initiuntur.
 Itaque nonnullos eiusmodi hominum antequam à criminibus expientur, ad cle-
 ricorum approbationes & ordines ducunt: dolōque malo iis monachis, qui apud I
 illos statuti sunt, productis testibus ab episcopis, vt manus eis apponāt, impetrāt.
 Hoc ipsi faciunt, non quòd clericorum gradus in honore aut pretio habeāt, qui
 quidem ipsos etiam episcopos contemnunt & pro nihilo ducunt, cum volunt,
 sed quòd potestatem aliquam vel authoritatem aucupentur. Quidam autem eorū
 nunquam sacramentis initiari quenquam posse cōcedunt, nisi illa hora Spi-
 ritus sancti aduentus sub sensum cadat. Concedunt etiam nonnulli eorum, si qui
 velint, membrorum quæ ad gignendum data sunt, sectiōnem. Facile autē etiam
 cum secta sunt & secreta, contemnunt. Iurare eis & peierare fas est. Suam ipsorum
 hæresim obscurè detestantur.

Valentiniano & Valente Imperatoribus nata est Messalianorum hæresis: E- K
 chetas eos appellant ij, qui in Græciam nomen transferunt. Habent etiam alia à
 re ipsa nomina. ἐβδισιασται enim, id est numine afflati vocantur, quòd dæmonis
 alicuius instinctum recipiant, eumque Spiritus sancti esse existiment. Qui autem
 grauissimè hoc morbo affligantur, manuum opus vt improbum detestantur.
 Quietī verò cum se tradunt, visa ea, quæ in somno accidunt, instinctum diuinum
 appellant. Huius sectæ principes fuerunt Diodoes, Sabas, Adelpheus, Hermas, &
 Simeon, aliique præterea qui à societate Ecclesiastica descuerunt, cum cibum di-
 uinum obesse posse negarent, de quo Dominus dicit: Qui manducat meam car-
 nem, & bibit meum sanguinem, viuet in æternum. Qui verò morbum celare &
 dissimulare conantur, ij tum eos qui impudenter negāt, coarguunt: tum eos ab-
 dicant, qui ea sentiunt, quæ ipsi gerunt in pectore. Litoius autē, qui Meletinorum
 Eccle-

- A** Ecclesiam gubernat, diuino amore ductus, cum multa huius morbi contagione infecta comperisset monasteria, aut potius specus latronum, ea incendit, luposque à grege abegit. Eodem modo Amphilocheus clarissimus vir, qui Lycaonum metropolim acceptam seruabat, vniuersamque gentem regebat, cum eò iam habem hanc & pestem peruasisse didicisset, rursus excitatus est: & gregem, quæ pascebat, ab ista pernicie liberauit. Flavianus verò celebris Antiochie Archiepiscopus, cum eos Edissæ legere comperisset, atque in finitimos suum venenum euomere, misa monachorum classe omnes Antiochiam abducendos curauit, vbi cum malum hoc eos retractare, tum mores reprehendit. Nam & accusatores calumniari dixit, & testes falsum dicere. A delphium autem, qui prouectissimæ ætatis erat, cum blandè assidere iussisset, Nos, inquit, senex, quoniã plurimum ætate processimus, certius & hominum naturam obseruauimus, & aduersariorum dæmonum dolos fraudesque exploratas habemus. Experti etiam fuimus gratiæ donum. Hi autem cum sint adolescentes, nec horum quicquam exploratum habeant, sermonem qui paulò subtilius de spiritu habetur, capere non possunt. Quid est enim, cur dicatis spiritum aduersum ab homine secedere, & Spiritus sancti gratiã in eum introire? His cum senex ille reprehensus esset, omne virus quod occultum erat, euomuit, his verbis: Nullam quidem vtilitatem Christiani ex baptismo percipiunt, dæmonemque ex homine sola virtutis expellit oratio. Vnusquisque enim eorum qui procreantur, vt primi parentis naturam trahit, sic dæmonis seruitutem. Quæ postquam sancta oratio eiecit, reliquum est, vt Spiritus sanctus accedat, qui & suum aduentum sensuum oculorumque testimonio significet, & corpus à motionibus & perturbationibus liberet, & animum à propensione & detractione omnino expiet: vt nec ieiunio, quo corpus ingrauescit: nec doctrinã, quæ quasi frenum iniicit, & modum in vita instituet, da apponit, deinceps vllus sit locus futurus. Hæc autem qui est consecutus, non solum à corporis lasciuia & petulantia vacuus est, verum etiam certò futura prouidet, & diuinam illam Trinitatem oculis contemplatur. Cum diuus Flavianus hoc modo fontem malè olentem dirupisset, riuusque ostendisset, hac voce impium senem affatus est: Inueterate dierum malorum, os tuum te refellit, & labia tua in te testimonium dicunt, non ego. Patefacto autem hoc malo, senex ille ex Syria exactus est: & in Pamphyliam secessit, in qua hæc pernicie vfque ad Marciani tempora corroborauit.

D Nestoriani à Nestorio dicti sunt. Hi Dei Verbum, & hominem sic separant, vt res infimas & minutas, quæ à Domino cum ad nos accessit, egit, soli homini ipsi: eas autem quæ arduæ sunt, & Deo dignæ, soli Dei Verbo attribuât, non vni eisdemque personæ vtrasque assignent.

Eutychni ab Eutyche sectæ nomẽ habuerunt. Hi Dominum nostrum Iesum Christum carnem sumpsisse de sancta virgine Maria negant, sed quodam modo diuinitus incarnatum fuisse sentiunt: nec intelligunt, Christum Dei Verbum eum sibi hominẽ adiunxisse ex virgine Maria, qui Adami primi parentis peccato erat obnoxius. Itaque principatus & potestates, vt scriptum est, expolians, de iis in cruce palam ac ingenuè triumphauit, quas primi hominis peccato induerat.

E Ægyptij, qui iudem Schematici & Monophysitæ vocantur, specioso titulo ac prætextu libri legis, qui Chalcedone probatus erat, à vera Ecclesia defecerunt. Ægyptij autem appellati sunt, quòd huius speciosi tituli authores Ægyptij fuerunt, Marciano & Valentiniano imperatoribus. De cæteris rebus cum Ecclesia cõsentiunt. Hi autem ob studium suum in Dioscorum Alexandrinum, qui in Chalcedonenfi cõcilio, vt Eutychni decretorum defensor, de gradu honoris motus fuerat, concilio interfuerunt: tum quæ sexcenta crimina, quæ in eis inerat, contra ipsum concilium finxerunt: quæ in hoc libro refellimus, cum eos vanos ac stultos esse ostēdimus. Horum principes fuerunt Theodosius Alexandrinus, à quo Theodosiani: & Iacobus Syrus, à quo Iacobitæ sunt nominati, conscij defensores & propugnatores: Seuerus Antiochenorum pernicies: & qui frustra laborẽ suscepit,

Ioannes Tritheites, qui cōmunis salutis mysterium negant. Ad multa autem decreta, quæ in Chalcedonenſi concilio cccxx. Patres ſtatuērunt, ipſi multa amentia ſua inſtituta, quæ alios facile capiant, addiderunt. Cū que eſſentias & naturas ſingulares inducant, tamen gubernationis teſtimonia confundunt.

Aphartodocitæ à Iuliano Alicarnaſſeo, & Caiano Alexandrino, qui iudem Caianiani vocati ſunt, duxerunt originē. Hi cum Seuerianis de omnibus conſentiunt: de horum autem ab eis diſſident, quòd illi interitum in Chriſti vnione & cōiunctione videri dicunt: hi iam ab ipſa fabrica & concretionē Chriſti corpus inſtitutus expers eſſe confirmant, & neceſſarias naturæ imbecilitates: ſi tim dico, famem & laborem, Dominum tolerare illi quidem concedunt, ſed eodem modo quo nos hæc ipſum negant pertuliſſe. In nobis enim hæc neceſſitatis eſſe dicunt, in Chriſto autem voluntatis: quem etiam naturæ legibus negant paruiſſe.

Agnoitæ, qui iudem Themiftiani vocantur, impiè & improbè Chriſtū diem iudicij ignorare palàm docent, eūque ignauia timiditatisque arguunt. Hi ſunt quædam ſecta Theodoſianorum. Themiftius enim, qui eorum ſecta & diſciplinæ princeps fuit, vnam in Chriſto naturam coniunctam fuiſſe tradidit.

Barſaniani, qui etiam Semidalitæ, cū omnia Caianorū Theodoſianorūq; decreta defendunt, aliquid tamen præterea addiderunt de ſuo. Similam enim eis, quæ à Dioſcori diſcipulis afferantur, admittunt, eamq; ſummo digito apponunt: & farinā tritici deguſtant, idque pro ſacrificio probant. Nec verò publicè ſit donariū, & oblatio: ſed Dioſcori, vt dixi, ſymbolis relictis, ſimilæ tantum admittēt, quantum conſumptum ſit, idque ipſis in communionis parte numeratur.

Heicetæ ſunt monachi, qui cū cæteris in rebus Eccleſiæ autoritatē ſequuntur, in monaſteriis cum monacharū cœtu Deum adhibitis tripudiis & ſaltatione laudibus afficiunt. In quo imitari ſe dicunt chorum illum, qui Moyſe duce conſtatus & coactus eſt, cum Ægyptij in mari rubro perierunt.

Gnoſimachorum hæreſis. Gnoſimachi ſunt, qui omni Chriſtianorum cognitioni ac ſcientiæ ita aduerſantur, vt vanum & minus neceſſarium laborem eſſe dicant eorum, qui in diuinis ſcriptis aliquam exquirunt ſcientiam. Neque enim Deum aliud à Chriſtiano poſtulare, niſi præclaras bonasq; actiones. Itaque aliquem ſimplici rudiq; animo inſtitutū ſuum perſequi melius eſt, vt aiunt, quàm multam curam in cognofcendis decretis atque ſententiis ponere.

Heliotropitæ ſunt, qui in iis herbis, quæ ſolē eiusque radios ſequuntur, & cū mutantur, vim quandā diuinam in eſſe dicunt, quæ in eis hæc efficiat mutationes, ob eamque cauſam eos colere ac venerari volunt: nec intelligunt, eum motū qui in eis animaduertitur, eis à natura tributum eſſe.

Thnetopſychitæ ſunt, qui hominū animos pecudum animis ſimiles inducūt, atque eos vnā cum corporibus dicunt interire.

Agnoclytæ ſunt, qui quoties orant, genua flectere prouoluique nolunt, ſed ſemper ſtantes precantur.

Theocatognoſtæ, qui iudem blaſphemi & cōtumelioſi vocātur, ſunt quidam contumelioſi & temerarij, qui nonnulla verba & facta in Domino noſtro Deo, & in ſanctis perſonis eis attributis, atque in ſcriptis diuinis improbare conantur.

Chriſtolytæ ſunt, qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum aſſerunt, cū excitatus eſt ab inferis, ibi corpore cum animo relicto, cum ſola diuinitate cœlum ac ſupera petiſſe.

Ethnophrones cū gentiū inſtituta ſequuntur, in cæteris ſunt Chriſtiani. Hi natales dies, fortunā, fatū, omnē Aſtronomiā & Aſtologiā, omnemq; diuinationē & auſpicia probāt: auguria, expiationes & placationes, ſortes, prodigiorū & portentorū inſpectiones, veneficia, aliasque eiufdē generis impias fabulas adhibent: iisdemque, quibus gentes, vtuntur inſtitutis. Dies etiā feſtos quosdā Græcorum probant: dies denique, & meſes, & annos, & tempora obſeruant & notant.

Donatiſtæ à Donato quodā in Africa ortum habuerunt. Hic, qui initium dedit

A dedit sectæ, quoddam os suorum manui apposuit: in quo ea vis erat, vt primum salutare deberent, deinde donarij, quod expiandi causa adhibetur, tum particeps fieri, cum est deferendum.

Ethicoproscopæ sunt, qui in moribus & rebus agendis aberrant, & aliquas res agendas, quæ præclaræ sunt, & cum laude coniunctæ, criminantur: contraq; nonnullas, quæ vituperatione dignæ sunt, approbant.

Parermeneutæ sunt, qui nonnulla diuinorum scriptorum tam veteris, quam noui Testamenti capita interpretantur arbitrato suo, idque vincendi studio faciunt. Ad multa autem, quæ ita accuratè & subtiliter exponuntur, vt reprehendi non possint, studium vincendi, contentionesque afferunt: idque faciunt imperitia quadam, & inscitia iudicandi. Cumque nonnulla hæreticorum decreta ignorēt, ea isto modo confirmant.

B Lampetiani à Lampetio quodam hoc appellati sunt nomine. Iis qui vitam in cōmunitatibus & cœnobiis degere instituunt, sinunt, quod quisque velit & probet viuendi genus, id sequi, quod etiam de vestitu iudicandum est eodem modo. Nihil enim, inquiunt, Christianus inuitus facere debet: proptereaq; scriptum est, Voluntariè sacrificabo tibi. Et rursus, Ex voluntate mea ei cōfitebor. Patiuntur etiam, vt aiunt nonnulli, dari locum naturalibus perturbationibus: nec vt eis obstitatur, postulant, quasi id natura patiat. Aliæque nonnulla, quæ cum Ariænorum decretis congruunt, sentire dicuntur.

*Lampetiani
in cœnobiis
suis arbitratu suo
viuere sinunt.*

C Monotheletæ à Cyro Alexandrino originem duxerunt: à Sergio autem Constantinopolitano confirmati sunt, & corroborati. Ii duas naturas, vnâque personam, in Christo illi quidem predicant, sed vnâ voluntatem, vnâque actionem in eodem ponunt: quo posito, duplicem naturam tollunt, & Apollinaris decreta confirmant atque defendunt. Ab his Eustathius exortus est, ex quo Eustathiani nominati sunt.

Valet ac tenet his etiam temporibus Ismaëlitarum, quæ in errorem plebè impellit, religio, quam Antichristi quasi præcursores appellare licet. Ducitur autem ab Ismaële, quem ex Agara Abrahamus suscepit, ex quo Agarini Ismaëlita nominantur. Sarracenos autem eos appellant, quasi à Sarra vacuos & inanes factos, propterea quod Agar angelo responderit, Sarra vacuum & inanem me dimisit. Hi quidem Luciferi astri atque Veneris, quam Chabar sua lingua, quod

Mahometica secta.

D Magna valet, vocant simulacrâ palâm coluerunt, adorauerunt, vsque ad Heraclij tempora. Ab illius autem imperio ad nostram ætatem falsus vates & propheta eis exortus est, Mamedius nomine: qui cum in veteri ac nouo Testamento versatus esset, sermonesque cum Ariænis habuisset, nouam sectam & disciplinâ condidit. Simulatione autem religionis ac pietatis cum gentis fauorem conciliasset, scripta è cœlo ad se delata, & missa à Deo esse, vulgavit. Quædam verò in suo libro ordine digesta impressis, risu dignissima, quibus veneratione & cultum Dei genti hoc modo tradit. Ponit vnum Deum vniuersi authorem, qui neque genitus sit, neque generauerit. Christum autem dicit Verbum esse Dei, & eius Spiritum,

E sed creatum atque seruum: eumque fatetur ex Maria sine semine generatum. Ait enim, Verbum ac Spiritum Dei, cum in Mariam introissent, genuisse filium, qui Dei Propheta & seruus est. Iudæos autem contra leges eum in crucem agere voluisse: & cum eum tenuissent, eius quidem vmbra egisse in crucem, Christum autem nec in crucem actum fuisse, nec mortuum: Deum enim eum ad se in cœlum transtulisse, quod ei esset charissimus. Hoc etiam commemorat, Christum cum in cœlum peruenisset, à Deo interrogatum fuisse, an Dei filium se esse dixisset? eumque facit hoc modo respondentem. In me Domine sis placato animo. Scis hanc meam orationem non fuisse, meque tuam non fastidire seruitutem. Homines sunt isti qui contra leges hoc me dixisse arguerunt, falsoque me circumuenerunt crimine, & vehementer errarunt. Tum Deum hæc ei vult respondisse, Scio hanc tuam non fuisse orationem. Aliæque multa

monstri similia narrat in illo commentario, quæ ridicula sunt. Ac ille quidem huc librum ad se à Deo missum fuisse gloriatur. Nos autem si quæramus, quisnâ testimonio suo comprobet, eum librum ex cælo ad eum allatum fuisse? aut quis Prophetam eiusmodi exoriturum Prophetam prædixerit? atque illi nesciant: respondemus, tum Mosem legem accepisse in monte Sina, cum Deus cernente vniuerso populo, in nube, in igne, caligine & procella apparuisset: omnesque Prophetas à Mose, & eos qui illum consecuti sunt, aduentum Christi multò antè prædixisse: Deumque Christum, ac Dei filium tum venturum, vt carnem assumeret, ac tibi coniungeret: tum in crucem actum iri, tum moriturum, tum excitatum iri à mortuis: eundemque fore & viuorum & mortuorum iudicem. A quibus etiam si quæramus, cur non hoc modo venerit Prophetæ vester, aliis ei testimonium dicentibus, sed ne vobis quidem videntibus, Deus vt Mosi populo spectante, & monte fumum effante, legem dederit, sic illic scripta quæ commemoratis, præbuerit, vt ea etiam vos certa & rata habeatis? & illi respondeant, Deum, quæ velit, facere omnia: Hoc etiam nos scire dicimus, sed quo tandem modo scripta hæc ad Prophetam vestrum peruenerint, hoc quærimus. ac illi respondeant, Cùm quieti se dedisset, hæc scripta ad eum à superis allata fuisse: tum ridiculum quiddam eis commemoramus, & obiciamus, Quandoquidem ei dormienti, & nihil agenti scripta hæc missa sunt, profectò in eum cadat necesse est tritum illud vulgi sermone prouerbium, * Rursus cùm eos interrogamus, cur cùm ipse vobis in commentariis & scriptis vetuerit, ne quid faceretis, aut acciperetis sine arbitris, ab eo nõ petiistis vt primùm testes produceret, qui eum Prophetam esse pro testimonio diceret: deinde eum à Deo missum esse: postremò vt ipse doceret, quænam scripta ei testimonium dicerent: pudor eos tacere cogit, quibuscum probabilius disputamus.

Christianocategori & sunt & dicuntur, quòd cùm Christiani vnum Deum viuum & verum venerentur, ipsi venerandas imagines Domini nostri Iesu Christi, dominæq; nostræ sanctæ Mariæ, quæ Deum sustulit, & peperit, sanctorum angelorum atque eius sanctorum, ita coluerunt vt deos more Græcorum,

Eiconoclastæ autem vocati sunt, quòd easdem sanctas & veneratione dignas imagines cum ignominia tractauissent, tum in minutissimas parteis comminuerunt, tum coniecerunt in ignem. Eodemque modo eas, quæ in parietibus erant depictæ, partim aqua calida, partim calce atramentoque obliterarunt.

Thymoleontes autem dicti sunt, quòd data potestate, cùm sectam furore armauerant, eos qui has exceperant atque salutassent, plagis & suppliciis sine modo afficiebant: nisi fortè à principe hæresis nomen sumpserit.

SCHOLIA IN PRÆCEDENTEM LIB.

1. & infirmitatē) Bis iam Basileæ hæc vox ita typis madata est. Nec tamè dubito quin in Græco τὸ ἀπειρον habeatur, ac legendū sit, infinitatem. 2. Protonicus) Pro Protonico, de quo nec Irenæus, nec Epiphanius, nec Theodoritus vllam mentionē faciūt, legendū haud dubiè est, Prunico, de quo post Irenæum tractat Epiphanius in Nicolaitarum hæresi, quæ est ordine 25. & 37. hæresi, vbi aduersus Ophitas disputat, & multis item aliis locis, ac denique Theodorit. in Compend. hæret. fab. cap. de Sethianis. 3. Phibionitæ) Sic etiam hos vocat Epiphanius hæres. 26. contra Gnosticos. Theodoritus tamen lib. 1. Compend. hæret. fab. Phemionitas eos appellat. 4. Choldianos) Coddianos legendum esse constat ex Epiphanio hæres. 26. vbi Gnosticos Coddianos dictos esse à Coddâ Syriaco vocabulo, quod patinam aut catinum significat: quoniam nemo cum ipsis cibum sumere poterat. 5. Principia & potestates) Vertere hoc loco malle, Principatus & potestates. Sic enim semper ἀρχὴς vocabulū transferri solet, cùm de angelis vsurpatur. 6. panem pro donariis sumunt) Non dubito quin hoc loco interpretes legerit ἀπὸ δώρων λαμβάνουσι. quod ego vertissem, Eucharistiæ loco sumunt. Nam apud Græcos per τὰ δῶρα sæpenumerò sacra synaxis intelligitur. 7. qui duo testimoniū dixerunt) Sic habet vtraque Basiliensis editio. At perspicuum est, Deo legendum esse, non, duo. Quod enim μαρτυρεῖν est in Græco (neq; enim aliter esse potest) vertit interpretes, Deo testimonium dicere. 8. id est selecti)

- A** selecti) Hoc de suo addit interpres, vt quid apotactici vox significet, ostendat. Verum eam parum commodè exponit. Apotactici enim huiusmodi hæretici dicebantur ἀπό τῆ ἀποτάξεως. i. propterea quod hoc ab ipsis exigebatur, vt omnibus facultatibus renunciarēt. φυλάττεται γὰρ παρ' αὐτοῖς, vt docet Epiphanius hæres. 61. τὸ μὴδὲν κεκτῆσθαι. i. hoc apud eos obseruatur, vt nemo aliquid possideat. 9. & verbum enunciari) καὶ τὸν λόγον ἀποφῆρασθαι, vel ἀποφορητὸν εἶναι (sic enim in Græco haberi existimo.) i. Verbum non per se consistens esse (quod Græci dicunt ἐνυπόστατον) sed tanquam ἐνυπόστατον quiddā duntaxat proferri: quemadmodum sermo noster à mente profertur. Eodémq; modo exponendum est verbū enunciatiuum paulò post in hæresi Paulini. 10. per actionem improprie creatum) ἐνεργεῖαι enim (hoc est vim quandam & operationem) eum esse dicebant, ac non per se consistere. 11. qui etiam nunc tentat vitam) Vel hæc verba ab aliquo assuta sunt (qui ea fortasse ab Epiphanio accepit. nam is hæresi 76. quæ est aduersus Arianos, de eo loquens, his verbis vtitur, δὲ καὶ δὲυρο ζῆ ἐν σαρκί, καὶ περίετι τῶ βίῳ) vel per Ariū hoc loco **B** Arii errorem intelligi necesse est. Alioqui enim, quo tantè modo Arius, qui Epiphaniij tempore prouecta iam admodum ætate erat, vsque ad Damasceni tēpora vitam propagare potuisset? 12. metu regis) βασιλεὺς hoc loco imperator potius verti debet. Constantiū enim imperatorem intelligit Damascenus. 13. Collyriani) Collyridiani legendum est, quemadmodum & versu sequenti. 14. tortam panis) In vtraque Basiliensi editione corruptè totam legebatur. Pro quo tortam substitui. 15. verbis acerbitate) Legendum hoc loco censo, vel acerbitate. 16. nōsque qui coniugij) Pro, nōsque, eōsque restituendū esse, sensus ostendit. 17. tamen gubernationis) ἀρχονομίας hic in Græco esse suspicor, quod ἐναρμόσπισιν. i. humanitatem à Christo susceptam Theodorus interpretatur. 18. Agnocyta) Agnocyta legendum esse patet ex eo quod sequitur.

D. IOAN. DAMASCENI
ADVERSVS MANICHÆOS
DIALOGVS.

Interlocutores, ORTHODOXVS & MANICHÆVS.

D Cum Græcum hunc Dialogum manuscriptum, ab illustrissimo Cardinali Sirleto ad me missum, iam pridem accepissem, eumque cum illo, qui Basilea postea excusus est, contulissem, eos, etiam in plerisque mendosis locis, ita concordēs reperi, vt prorsus existimem, vel Basiliensem ex Cardinalis manuscripto, vel utrumque ab alio quodam transcriptum fuisse. Vtunque sit, elegans & arguta atque eruditus est hæc disputatio, dignaque pluri, quæ Damasceni nomen præferat: nisi fortasse illud, de quo à nobis schol. 13. aliquid annotatum est, quominus et Dialogus hic ascribatur, impedimento sit. Quæ tamen de re penes doctiores iudicium esto.

ORTHODOXVS.

E  **V**ONIAM mutæ disputationis causa congressi sumus, quæro ex te, quidnam illud sit, quod nobis in hac disputatione proponatur. **MANICH.** Vt fidei doctrinam excutiamus: quod verum à nobis inueniatur. **ORTHOD.** Vero falsumne aduerfatur? **MANI.** Prorsus. **ORTH.** Quid ita? **MAN.** Quoniam verum eorum, quæ sunt, est cognitio: falsum autem, eius quod non est. **ORTH.** Haud rectè respondisti. Nam verum quidem eorum quæ sunt est: at falsum eius quod non sit, haudquaquam cognitio est. Quod enim non est, ne cognosci quidem potest. **MAN.** Quidnam ergo falsum est? **ORTH.** Eorum quæ sunt ignoratio. **MAN.** Rectè dixisti. **ORTH.** Si igitur verum eorum, quæ sunt, cognitio est, falsum autem, eius quod est, inscitia, dic quæso, cognitio habitusne est? **MAN.** Est planè. **ORTH.** Si cognitio habitus est, ignoratio herclè priuatio erit. **MAN.** Imò ignoratio quoque habitus est.

Kkk iij